



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ivdicivm Philippi Melanthonis De Controversia Coenae Domini

Melanchthon, Philipp

Ratisponae, 1560

VD16 M 3533

Scholia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29449

nis, nec angeli vel autoritate, vel aliunde accerfitis rationib., licere in aliud transformari, diuersum præfertim & contrarium: vt quod Christus dicit: Panem esse corpus suum, ipsi contra dicant, nequaquã esse eius corpus.

(R) IN VSV) Quem hîc pungit Philippus? Solos ne Papistas, & paucos quosdam alios, & non vniuersas nostras ecclesias? Quib. sciens facit iniuriam,

T E X T V S.

ACerrime pugnant Papistæ, & eorum (S) similes, vt dicatur corpus Christi extra lumptionem inclusum esse speciebus panis, aut pani: Et postulant adorationem, sicut Morlinus (T) Brunsvigæ dixit. **Du musse nicht sagen Nium Nium/ Sondern du musse sagen was dieses ist/ das der Priester inn der Hand hat.** Sarcerius iubet delapsas particulas colligi, & crasa terra comburi. Cum VVormatiæ essemus ante biennium, quæstio ad nos mittebatur ex aula quadam: An corpus Christi descendat in ventrem. (V) Talibus prodigiosis quæstionibus reiectis, vtilius est retineri formam verborum (X) et de fructu recte doceri homines.

S C H O L I A.

(S) EORVM SIMILES) Similiter & hîc sciens facit iniuriam nostris, de inclusionem, & est verus Syco-phanta.

(T) MORLINVS) En tibi Morline: En Sarceri, idolatræ. Neuter vero Sacramentum extra vsum constituit,

constituit, aut corpus Christi pani veluti carceri includit. Morlinus tantum Metonymiam & tergiuersationem Cinglianorum Tropistarum taxat. Sarcerius spectat irreligiosam tractationem: Vbi hinc tuus iterum candor Philippe?

(V) IN VENTREM) Quid nobis cum ineptijs aliquorum, si non fit iniuria quoque, ei de quo narratur? Viderint autem Cingliani, quas non dico quaestiones, sed egestiones, & nefandas blasphemias, ceu venenatae aranæ ex verbis oris Christi suxerint ipsi, & vomuerint in authorem verborum, Christum.

(X) FORMAM VERBORVM PAVLV) Christus forma suorum verborum author prodigiosarum quaestionum. Ecce huius blasphemiae exemplum ex ipso Philippo.

T E X T V S.

Potest inspicere forma (Y) verborum Coenae in examine (Z) Megalburgensi, vbi et commonefactio est de fructu Coenae. Adest filius Dei in ministerio Euangelij, & ibi certò est efficax in credentibus. Ac adest non propter (A) panem, sed propter hominem, sicut inquit: Manete in me, & ego in vobis. Item, Ego sum in patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Et in his veris consolationibus facit nos sibi membra, (A) & testatur se corpora nostra viuificaturum esse. Sic declarant Veteres (C) Coenam Domini.

S C H O L I A.

B 2

Forma